

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Andreas Boehmius AA. LL. M. Et Phil. D. Præsenti  
Programmate De Usu Cognitionis Differentiæ  
Intercedentis Inter Tria Veritatum Genera**

**Böhm, Andreas**

**Marburgi Cattorum, [1742?]**

**VD18 13453416**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-14844**

5  
ANDREAS BOEHMIUS

AA. LL. M. ET PHIL. D.

PRÆSENTI

*PROGRAMMATE*

DE

USU COGNITIONIS  
DIFFERENTIÆ  
INTERCEDENTIS INTER  
TRIA VERITATUM  
GENERA,

*LECTIONES PUBLICAS*

IN ILLUSTRIS WOLFII


*COMMENTATIONEM DE DIFFERENTIA NEXUS  
RERUM SAPIENTIS ET FATALIS  
NECESSITATIS &c.*

PROXIMA DIE MERCURII INCHOANDAM  
INTIMAT.

---

*MARBURGI CATTORUM,*  
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MULLERI, ACAD. TYPOGR.







L. S. & O.

**D**ifferunt a se mutuo, quod nemo sanæ mentis negabit, res, cogitationes nostræ, sermones nostri. Eadem, quæ in modo dictis, intercedit inter triplicem veritatis sexum discrepantia. *Veritas metaphysica, seu transcendentalis pertinet ad res, Logica ad cogitationes, Moralis ad Sermones.* Est illa *Metaphysica Veritas ordo eorum, quæ enti conveniunt (Ont. §. 495.).* Et hoc modo omne ens est verum (§. 497. *Ont.*): atque ens metaphysice falsum, est non-ens. Quicquid possibile est, hoc sensu verum est; Quicquid verum non est, possi-

possibile non est. Veritas ista logica consistit in consensu iudicii nostri cum objecto (§. 505. Log.). Si scilicet iudicamus, huic enti hæc prædicata competere vel competere posse; & ipsi etiam competunt actu, vel competere possunt: tum iudicium nostrum verum est, sin minus rei competunt vel competere possunt prædicata, quæ eidem jungit iudicium, falsum est. Patet hinc, *Veritatem Logicam involvere veritatem Metaphysicam in affirmativis, falsitatem Metaphysicam in negativis.* Propositioni enim affirmativæ veræ notio possibilis respondet, impossibilis negativæ veræ (§. 520. 521. Log.). Illustrabo rem exemplis. Si dico: Ens sapientissimum est omnipotens: Iudicium est (Logice) verum, quia revera se res ita habet. Sed non posset (Logice) esse verum, nisi esset possibile ens sapientissimum esse omnipotens adeoque nisi esset Metaphysice verum. Sed si dico iterum: Deus non est mendax. Propositio negativa vera est. Sed est etiam ipsius complexa notio, quæ cum prædicatis Dei prædicata mendacis confusa exhibet, impossibilis, consequenter Metaphysice falsa. Tandem si loquimur, cogitationes verbis, ceu signis significamus. Possunt hæc verbis enunciata cogitationes vel esse eadem, quas de objecto concipimus, vel possunt ab illis discrepare. Vocamus hanc veritatem moralem, quæ est consensus sermonis nostri cum cogitationibus h. e. consensus cogitationum verbis expressarum cum cogitationibus de objecto conceptis: si ita loquimur, uti cogitamus; ita verbis efferimus iudicium, prout idem in mente concipimus. V. g. si mihi persuasum sit, Titium gladio stricto persecurum esse Mævium; & ego Iudici fateor

teor Titium armis lethiferis Mævium persecutum esse. Qualis sit differentia inter veritatem hanc & logicam, vel hanc etiam & Metaphysicam, ex dictis factis superque constat. Hanc autem primo ex collatis logicæ & moralis veritatum definitionibus eruo propositionem: *Potest aliquid esse moraliter verum, quod logice falsum est.* Sufficit enim ad moralem veritatem, si sermone expressæ cogitationes coincidunt cum cogitationibus de objecto revera formatis: possunt autem hæ esse falsæ. Accipe exemplum: In crepusculo vespertino deambulans mihi videre videor Titium falcem in alienam segetem immittentem: fuit autem revera Cajus non Titius. Quæsitus a possessore, num viderim illegitimum messorum, respondeo me vidisse Titium furtum hoc committentem. Cum sermo meus a cogitationibus non abludat, moraliter dixi veritatem; non autem Logice, cum non fuerit actu Titius, sed Cajus. In argumento conceptu tam facili supervacaneam judico cautelam de vitanda sinistra interpretatione, quasi vel omne moraliter verum sit necessario Logice falsum, vel vice versa. Ex collatis iisdem definitionibus liquet: *posse aliquid esse logice verum, utut sit moraliter falsum.* Ratio in promptu est. Falli possum propositionemque veram pro falsa, falsam pro vera habere. Quodsi igitur illam recenseo, quam pro falsa habeo, veram narro, dicoque veritatem Logicam, non autem moralem. Eadem itaque enunciatio potest esse Logice vera & moraliter falsa. Video ex. gr. ex longinquo stantes duos litigantes A & B, miscentes tandem manus. Me iudice A ipsi B primam infregit alapam, Sed revera B

A 3

illam

illam dedit ipsi A. Postea mihi nunciatur A esse amicum meum, quem periculo multæ ferendæ exponere nolo: Testem ago: dico B primum verberibus onerasse A. Ita factum est. Cogitationes ergo sermone meo expressæ & in iudice excitatæ Logicam habent veritatem: Sed non moralem; cum sermo meus differat a cogitationibus meis.

Non esset difficile, ex iis, quæ jam dicta sunt, ubiores deducere conclusiones: Verum abruptamus nudæ speculationis filum, praxinque propositionum modo expositarum eo sollicitius rimemur. Parum prodest sola rerum theoria. In usum vitæ discendum est. Præferendus est paucarum regularum sedulo ad praxin translatarum numerus ingenti cumulo sterilium, quæ, ut sancta utar formula, incidentes in viam exarescunt.

Subinde nobis, ex. gr. testibus, denunciatur *juramentum* eum in finem, ut gravior reddatur obligatio veritatem dicendi, quod *assertorium* vocant. Non nisi moralem a nobis veritatem postulare potest Iudex. Ut exactius ipsi exponamus aliquod factum, quam quidem id ipsi scimus, velle nequit: Acquiescat igitur necesse est, si ea debitum nostrum solvamus moneta, quam habemus. Concedendum igitur est, moralem solum veritatem urgere juramentum. Constat autem, posse aliquam relationem esse moraliter falsam utut sit Logice vera. Fit igitur conclusio: *Potest aliquis committere perjurium, etiamsi ita factum recenseat, prout id se actu habet, quia aliter id recenset,*  
quam

quam ipsi actu comparatum videtur, ipse autem falsus est, & casu fortuito incidit in veram historiam. Non est hic casus admodum frequens, cum a fortuna pendeat, ut præcise illam fingamus narrationem, quæ sola rei congruit, restantibus aliis plerumque infinitis. Verum si qua contingat, ut malitiosus homo dormitante conscientia hujus farinae committat perjurium, atque evigilante tandem aliquando interno actionum judice, ob facinus patratum se excarnificet: sopitur saltem, non ad tranquillam redigitur ipsius conscientia quietem, dum postea cognoscit, se ipsum tunc temporis falsum historiamque esse veram, qua tanquam ficta fabula judici imponere voluit. Animum ipsius exhaurire non possumus, qui scite & data opera eundem celat: quapropter hariolari non possumus, utrum verba consentiant cum cogitationibus, nec ne. Quod si quis igitur juratus recenseat historiam ita, ut facta est: non valemus dijudicare, utrum ita sibi etiam illam concipiat, vel secus: Proin externe pro perjuro haberi nequit, cum talis tamen sit intrinsece. Progrediamur ad alteram propositionem. Juramentum assertorium me eo saltem adigit, ut moralem dicam veritatem. Subsistit autem etiam hæc absque logica. Sequitur ergo: *Potest esse non perjurus, qui juratus secus, quam id se contulit, narrat factum*, videlicet si vana labore persuasione, quasi ita esset revera. Videtur a nobis dissentire Grotius, qui L. II. Cap. XIII. §. 13. num. 2., ait: "duo debet jurans, primum, ut verba congruant animo, quod ἀληθῆς ὁμοκειν vocat Chrysippus; alterum, ut factum congruat verbis, quod idem appellat ἐνομοκειν. Qui in il-

,, 10

„lo peccat *ψευδορκεῖν*, qui in hoc *ἐπιορκεῖν* eidem Chry-  
 „sippo dicitur satis distincte, quanquam confundi in-  
 „terdum hæc solent. Idem iisdem plane ait verbis  
*Andr. Ad. Hochstetterus Colleg. Pufendorf. Exercit.*  
*VII. §. XLI. p. 355.* At levi admodum opera hic ap-  
 parens tollitur dissensus. Concedo requiri ad jura-  
 mentum congruentiam cogitationum verbis expressa-  
 rum cum ipsa re; Quia eum in finem defertur jura-  
 mentum, ut veram historiam juratus recitet: Verum  
 propterea hic defectus non facit perjurium, quod a  
 prava descendit voluntate, non autem ab intellectu  
 male informato. Placet igitur cauta *Chrysippi* deno-  
 minatio, qui aptiori vocabulo in utroque casu uti non  
 potuit. Cum igitur a perjurii macula possit esse im-  
 munis aliquis, utut rem secus narret, quam illa se  
 habet: non modo poena perjurii in illum non cadit;  
 sed insuper, collata imprimis præcedente proposi-  
 tione, quod perjurus aliquis esse possit, utut factum  
 tale recenseat, quale est, liquet, *tempus* ulteriorem  
*facti & exactiorem cognitionem concedens, non posse de-*  
*cere, utrum aliquis sit perjurus, nec ne.* Imo si in in-  
 cepta via pedem amplius promoveamus, veram et-  
 iam deprehendimus sequentem propositionem: *Pos-*  
*sunt duo A & B propositiones contradictorias juramen-*  
*to firmare, ita ut B falsam, A veram historiam nar-*  
*ret, uterque, quod elocutus est, jurejurando corrobora-*  
*ret: & neuter se perjurii criminis reum facit; immo*  
*vero hoc scelus incurrere potest A puro manente altero*  
*B.* v. g. si casus esset sequens: Titius Mævio depo-  
 sivit 50 aureos, postea uxor Mævii hos 50. aureos ci-  
 stula inclusos clam sub rebus Titii abscondit, hic de-  
 positi

positi restitutionem urget, quam jam factam Titius nescit, sed jactat pariter inscius Mævius. Imploratur a Titio Judicis auxilium. Defunt testes. Deest Chirographum. Defertur Mævio juramentum. Jurat, traditum iterum esse Mævio depositum, non modo inscius, verum putans traditum nondum esse: ut ut igitur verum sit, depositum esse iterum penes Titium, Mævius tamen committit perjurium. Titius pariter jurat, se non habere illud depositum. Non est perjurus, quia putat se veritatem locutum esse, ut ut locutus eandem actu non sit. Est ergo verum dicens Logice Mævius perjurus, non autem Titius, falsum Logice dicens: Interim tamen externam, sed mendacem, perjuri speciem magis habet Titius, quam Mævius & homines scioli, quibus mos est deproperatis & præcipitatis judiciis in aliorum famam incaute irruere, secundum externam judicant speciem, absolvunt læsæ Majestatis divinæ reum Mævium, damnantque innocentem Titium, quem nullo plane modo turbat conscientia domum redeuntem, & inter res suas id depositum deprehendentem. Hæc omnia nos satis superque docent, *multa admodum & seria illis opus esse circumspetione, qui de aliis numquam perjuri sint, vel non, judicare gestiunt*, inprimis etiam cum admodum deforme sit prædicatum perfidia: imo satius esse id cujusque conscientia relinquere, qui profecto non insultabit impune DEO tam serio id criminis vetanti *Levit. XIX. 12. Deuter. V. 11. Math. V. 33.* & alibi. Fallitur autem oppido, qui putat se, dum veritatem moralem dicit, & juramento confirmat, ex asse officiis satisfacisse suis. Culpam etiam

B

omnem

omnem evitare tenetur (§. 299. 882. *Part. I. Juris Nat.*). Er est in culpa, si falsitatem dixit logice, ea- que nocuit innocenti. Juramentum solet dirimere controversias litigantium. Incurrit in damnum id minime promeritus, si rem aliter recensemus, ac facta est; incurritque nostra culpa (§. 696. *Part. I. Philos. pract. univ.*). Impedit spatii angustia, quo minus omnes cautelas curate prosequamur; non effugient autem mentem ejus, qui debitam adfert secum attentionem. Patet sua quasi sponte, quod *immunitatem a perjurio in se trahere non possit, qui data opera effecit, ut rem non rite sed perversè perceperit, quo tandem Judici a re ablucente recensione tutus imponere possit. &c. &c.*

\*  
\* \*  
\* \* \* \*  
\* \* \* \*  
\* \* \* \*

Sed manum de tabula. Dicendum jam est, cujus gratia hæc omnia prælocuti sumus. Erat scilicet animus lectione publica explicare Celeberrimi Dni *Bilfingeri Commentationem Philosophicam de Origine & permissione mali præcipue moralis*. Ardua est & difficilis hæc materia insuper non stirilis sed magni præcipue in Theologia utraque momenti. E re itaque omnino Honoratissimorum doctissimorum Dn. *Commlitonum* fuisset expositio Commentationis *Bilfingerianæ*, præsertim cum Illustris Auctor, cujus nomen jam diu Augustum in orbe philosophorum factum est, tam curate & solide pertractarit argumentum il-  
lud

lud grave & tanti Viri studio dignissimum, ut curatius & solidius evolvi non posset. Verum enimvero consilium hoc meum mutare debui *ob defectum exemplorum laudatæ hujus commentationis*. Doleo sane, & prorsus invitus a cepta animi sententia recedo, qui omnem solícite quæro occasionem, commodo Doctissimorum Duorum Commilitonum inserviendi pro viribus: Sed cum in potestate mea non sit nisi aliud eligere medium eundem meum finem obtinendi, apud animum constitui lectione publici uberiori discursu explanare Ill. WOLFII *Commentationem luculentam de differentia nexus rerum sapientis & fatalis necessitatis, nec non systematis Harmoniæ Præstabilitæ & Hypothesium Spinosæ, in qua simul genuina DEI existentiam demonstrandi ratio expenditur & multa religionis naturalis capita illustrantur*. Est equidem hoc scriptum Wolfianum eristicum, seu potius apologeticum, adeoque minus videtur aptum instituto meo. Sed norunt, qui Ill. Wolfium norunt, nihil ab eodem unquam profectum esse, quod usu insigni destituatur. Vel solus libelli titulus ante lectam ipsam pertractationem spem suscitatur fructus ex illo suscipiendi plane singularis: & qui omni destituimur exemplo, quo unquam plus promiserit Philosophus noster, quam servaverit; turpiter in Virum tot tantisque meritis de universo orbe eruditorum excellentem injurii essemus spem suscitatum supprimentes. Sed quid hisce diutius inhæreo? Multa dogmata Wolfianæ Philosophiæ non modo a gravibus in hoc libello objectionibus vindicantur, verum illustrantur etiam, eorumque a perniciosis multorum aliorum sententiis



cis distantia luculenter ostenditur. Spero igitur me & hunc laborem non sine insigni emolumento Dnorum Commilitonum esse suscepturum. Ego omnem movebo lapidem, ut, quantum tenues permittunt vires, *Generosis, Doctissimis, Honoratissimis Dominis Commilitonibus* satisfaciam, quos officiose interim & decenter rogo, ut *singulis diebus Mercurii & Saturni, prima vice d. 25. Aprilis h. III. pomeridiana in auditorio philosophorum ad nudipedes* frequentes conveniant. Valete interim & res vestras feliciter agite. Dabam e Musæo meo d. 22. Mens. Apr, Anno R. S. 1742.

